



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

15. An variatio, mendacium, & vasillatio rei, præbeant Inquisitoribus
indicium ad torquendum? Et an sola titulatio, vultusque mutatio rei faciat
contra illum indicium ad torturam? Ex p. 4. tr. 6. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

famam cum aliis indiciis & conjecturis modo, quo supra explicat Simanca, esse sufficiens indicium ad torturam, & in casu contingenti D.D. Inquisitores ne deferant videre Inquisitorem, Canteram in *99. crim. cap. 2. de probat. per testes*, *q. 1. num. 8.* & Pegnam ubi supra; & Bertazolium *vol. 1. consil. 213. num. 3.* cum Pitigiano in *pract. crim. part. 3. cap. 7. in addit. lit. B.* & Michaele Zanardo in *direct. Inquis. part. 3. cap. 95. fol. 514.*

2. Notandum est tamen hic primò, quòd multi asserunt famam habentem ortum ab aliqua verisimili causa & conjectura sufficere, etiam si testes non sint ita honesti, & fide digni, sed hanc sententiam meritò reprobant Farinacius *q. 47. n. 159.* Vnde dicendum est testes deponentes de fama; ad minus duos esse debere, & hos spectare vitæ, & omni exceptione majores, ut ex multis probat Miranda *de ordin. judic. tom. 2. q. 26. art. 5. concl. 2.*

3. Nota secundò quòd aliqui asserunt sufficere in nostro casu, si testis dicat se ita publicè dici audivisse, vel ita esse publicam vocem & famam. Ita Peguera *decis. 17. n. 25.* Paulus Granatus *theor. 2. 2. num. 6.* Buratus *lib. 1. concl. 90. n. 6.* & alij, quos adducit Mascardus *de probat. lib. 1. concl. 497. n. 19.* & *lib. 2. concl. 749. n. 4.* & 5. Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto cum Bartolo in *l. de minore, §. plurimum, n. 12.* & ibi etiam Marcellus *n. 54. in fine ff. de quest. Navarrus in tract. de fama & infamia, cap. non sunt audiendi 2. q. 3. n. 13.* & 14. & alij innumeri; & ad summum prima opinio tunc admittenda est, quando testes adducerent causas & conjecturas verisimiles, ex quibus orta fuit fama & nam aliter famam non probarent, etiam si dicerent se ita publicè dici audivisse, vel sic esse publicam vocem, & famam, & ideo dixit Simanca ubi supra, non satis esse, quòd testes dicant ita esse publicam famam, nisi etiam rationem reddant, qua id necessariò concludant; igitur requiritur ut testes deponentes super famam reddant rationem eorum dicti, etiam non interrogati, & sic debent exprimere causas, indicia, & conjecturas, quibus orta est fama, aliter non probant, & ita inter alios docet Miranda *de ordine judic. tom. 2. q. 26. art. 5. concl. 2.* Mascardus *de probat. lib. 2. concl. 149. n. 11. 12.* & 13. & *lib. 3. conclus. 1369. num. 8.* Alia verò requisita ad probationem famæ ne omittas videre apud Farinacium *q. 37. usque ad num. 277.*

RESOL. XIV.

An fuga sit indicium sufficiens, ut Inquisitores possint torquere reum? Ex p. 4. tr. 6. Ref. etiam 14.

§. 1. **A**D hoc dubium ita respondet Simanca in *Canon. institut. tit. 65. num. 28.* Is, qui post commissum crimen fugit, antequam accusetur, poterit ob eam causam torqueri, quia, ut plerique putant, fuga illa semiplenam probationem facit. Aliud esse, aiunt, cum reus accusatus fugit, tunc enim fuga non probat semiplenè. Ita ille, & post illum Eymericus à Rosbach in *tract. crim. tit. 5. cap. 9. num. 2.* & 5. Ioseph de S. Maria in *Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 9.* & Ludovicus Miranda in *ordin. judic. tom. 2. quest. 26. artic. 8.* qui postquam docuisset fugam adminiculatam facere indicium ad torturam, sic subdit. Intelligenda est hæc conclusio de eo, qui post commissum delictum aufugit, antequam accusetur, nam non ab re contra ipsum præsumitur, quòd illud commiserit, estque vehemens, & urgentissimum indicium ad torturam proinde sufficiens; secus est de illo, qui accusatus fugit, nam ejusmodi fuga non est vehemens, & sufficiens indicium ad torturam, nec vim habet semi-

plenæ probationis, cum ex alia causa possit procedere. Ita ille. Sed in casu occurrenti ne prætermittas videre Farinacium *quest. 48. num. 1.* & seq. Gomez *tom. 3. cap. 13. n. 10.* Iul. Clarus in *pract. §. fin. q. 21. num. 18.* Mascardus *de probat. lib. 2. concl. 819. n. 4.* & *concl. 831. n. 9.* & alios penes ipsos.

2. Non desinam tamen hic adnotare, aliquos docere ex fuga è carcere etiam attentata, orti contra fugientem indicium de delicto, pro quo detinebatur, sufficiensque ad torturam, dummodo animo revertendi non effugerit. Et ita docet ex nostris Antonius Sousa in *aphorism. Inquisit. cap. 26. num. 34.* & ante illum Farinacius *quest. 30. num. 85.* cum aliis penes ipsum.

RESOL. XV.

An variatio, mendacium, & vacillatio rei probent Inquisitoribus indicium ad torturam?

Et an sola titubatio, vultusque mutatio rei faciat contra illum indicium ad torturam? Ex part. 4. tract. 6. Ref. etiam 15.

§. 1. **R**ESPONDEO ex se sola negative. Dico igitur quòd ut variatio rei faciat contra ipsum indicium ad torturam, debet esse adminiculata aliqua alia conjectura, indicio, seu præsumptione; secus autem ut dixi, si sit sola nuda, non adminiculata; & ita hanc sententiam tenet Zanardus in *direct. Theolog. part. 3. cap. 93. fol. 512.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 17. num. 164.* Becanus in *2. 2. D. Thom. de just. quest. 67. de iniustitia iudicii, quest. 10. num. 13.* Ciazzius in *defens. reorum discept. 35. num. 8.* Sousa in *aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 80.* Ludovicus Carelius in *pract. crim. leg. observare, num. 119.* Iul. Clarus in *pract. §. fin. quest. 21.* Cachetan. *decis. Pedemont. 79. num. 17.* & alij quos citat, & sequitur Petrus Caballus *refol. crimin. cent. 2. cas. 200. num. 136.* ubi sic ait. Variatio circa circumstantias, & qualitates delicti nullo modo facit indicium ad torturam, nec etiam si sit circa ipsum delictum, nisi junctis aliis indiciis, secundum communem opinionem Doctorum. Ita ille. Et idem dicendum est de mendacio, ut ex multis Doctoribus observat Miranda in *ordin. judic. tom. 2. quest. 26. artic. 12. concl. 1.* & de vacillatione, nam sine alio indicio, conjectura, aut præsumptione non facit indicium ad torturam. Vnde etiam non desinam hic apponere verba doctissimi Inquisitoris Didaci Canteta in *99. crimin. cap. 2. de probat. per testes, quest. 1. num. 20.* ubi sic asserit: Iudices non bene faciunt qui captum aliquem propter delictum sine aliquo indicio propter vacillationem solum, vel trepidationem, ponunt ad torturam, & ex hoc vidi quemdam iudicem puniri, & condemnari in Cancellaria Granatenfi. In causa autem hæresis ex sola vacillatione nunquam reus poneretur ad torturam, nisi essent alia indicia de delicto. Ita Canteram.

2. His tamen non obstantibus non desinam hic adnotare, multos Doctores asserere, mendacium factum per facto principali per se solum indicium esse ad torturam, & ita tenent Doctores quos ad faciem adducit Giurba in *consiliis criminal. consil. 87. num. 27.* qui etiam cum multis aliis in *num. 26.* docuerat, quòd quando plura adfuerint mendacia, unum ab alio adminiculatur ad torturam.

3. Notandum est etiam hic obiter cum Menochio *de præsumpt. lib. 1. quest. 89. num. 71.* quòd sola titubatio, vultusque mutatio rei non facit contra illum indicium ad torturam: nisi cum ea titubatione, & trepidatione concurrant aliqua adminicula, quòd prius docuerat Marcellus in *pract. crim. §. diligenter, num. 74.*

& Carerius etiam in praxi crimin. leg. observare, numero 120. & novissime Soula in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. num. 81.

RESOL. XVI.

An reus tortus, & negativus, si superveniant nova indicia, possit iterum ab Inquisitoribus torqueri?

Et quam indicia esse debeant, an esse debeant, & differre à primis specie & substantia?

Et an in supradicto casu, quando tortura repetenda est, tunc danda sit reo copia indiciorum, & audiendus quemadmodum ante primam torturam factum est? Ex p. 4. tr. 6. Ref. etiam 16.

§. 1. **P**osse reum torqueri, si nova superveniant indicia, docet Simanca in Cathol. instit. tit. 65. num. 75. Villadiego in polit. cap. 3. num. 321. Bertazoli vol. 2. consil. 274. num. 21. & alij communiter. Sed difficultas est an ista indicia debeant differre à primis specie, & substantia? & aliqui affirmativam sententiam tenent, adversus quos novissime insurgit Quevedo lib. de iudic. & tort. part. 2. cap. 7. num. 6. ubi sic ait. Se pueden repetir los tormentos, quando despus que el reo nego en el primero tormento sobrevinieron nuevos indicios, o por la boca del reo, o por testigos, que no son aquellos, que le causaron en el primero juicio, sino de diversos generos, y mas evidentes, y que difieren de los primeros en la especie, y en la sustancia, como si los primeros indicios fuesen de mala fama o de enemistad, y los segundos fuesen de visita un testigo &c. porque aunque aya testigos de los primeros indicios, no se dira que ay mas indicios sino mas probanca dellos, segun Farinacio. Yo no tengo por cierta esta doctrina, porque si lo fuera, della se pudiera inferir, que supuesto que los indicios sobrevinientes han de diferir de los primeros no solo en la sustancia, sino en la especie, que si los primeros fueron remotos, no bastaran otros remotos, si propinquos no bastaran otros propinquos, y lo mismo de los proximos e indubitables, esto no es cierto y fuera absurdo el entenderlo asi, antes digo que bastaran indicios de la misma especie, con que difieran en la identidad, como si el reo fuese arrometado por enemistad, podria serlo por la fama, o por otro indicio, aunque conyengan en la especie con ser remotos en los casos que bastan para tormento, lo mismo de los propinquos y de los demas, como difieran en la identidad, aunque se conformen en la especie porque no hallo razon para lo contrario, ni Farinacio la da, y asi digo, que en estos casos se podra repetir a los reos el tormento.] Ita ille, qui pro hac sententia adducit Antonium Gomez tom. 3. var. cap. 13. n. 7. & 8.

2. Verum his non obstantibus sententiam affirmativam tueretur Doctores nostri sacri Tribunalis, & inter illos doctissimus Pegna in direct. Inquis. part. 3. commen. 39. num. 156. ubi sic asserit. Observanda est doctrina de non iterandis tormentis, nisi nova indicia superveniant: nova autem indicia voco, quæ à primis differunt specie, & substantia. Ita ille, qui citat Alexandrum & Cafonum, quibus addo Vmbertum Locatum Inquisitorem in sua praxi, ver. tortura, §. & nota secundum Felinum; ubi ita ait: Si reo legitime torto, sed non confesso, nova superveniant indicia (nova voco, scilicet à primis differentia specie, & substantia, non tamen si eadem coadjuvantur testibus) iterum poterit torqueri. Hæc ille, & ex criminalistis Bossius lib. de tortura, n. 42. & alij.

3. Sed ego puto, quod sensus supradictorum DD. in illis verbis quod indicia nova debeant differre spe-

cie, & substantia, sit, quod indicia nova non sint eadem, licet coadjuvantur aliis testibus, ut v. g. & est exemplum Iul. Clari in pract. §. final. quest. 64. num. 46. aliquis tortus sit ex indicio famæ, & deinde supervenissent alij testes probantes famam, utique in tali casu non debet reus torqueri, quod utique faciendum erit, si in alia nova indicia remota supervenirent præter famam, & hunc esse sensum supradictorum verborum, patet ex verbis Locati supra adductis, & ita intelligendi sunt Cafonus de indiciis lib. de tortura cap. 14. num. 8. Ludovicus Bologninus in addit. ad tract. de indic. & tort. num. 61. Brunus in tract. de indic. & tort. part. 2. quest. 5. num. 63. Damhauderus in praxi c. 38. n. 5. Petrus Caballus in resol. crimin. con. 2. cas. 93. num. 43. asserentes reum posse iterum torqueri ex novis indiciis supervenientibus; si tamen à prioribus differant specie, vel substantia. Adverit tamen Vincentius de Franchis part. 4. decis. 577. & Guazzinus tom. 2. lib. 1. differ. 30. cap. 23. num. 3. & 4. indicia supervenientia, ut reus torqueatur, debere esse talia per se, ut sufficiant ad torturam. Item debere esse indicia propinqua, & non remota, quod etiam docet Natta vol. 2. consil. 407. n. 12. & alij penes ipsum Guazzinum, sed ex indiciis remotis pluribus posse torturam leviter tantum repeti, tenet Caballus cent. 2. cas. 193. num. 5. Verum Quevedo ubi supra, & alij absolute docent ex indiciis remotis sufficientibus repetendam esse torturam.

4. Notandum est etiam hic obiter quod in supradicto casu quando tortura repetenda est ex novis indiciis, tunc danda erit reo copia indiciorum, & audiendus quemadmodum ante primam torturam factum est, nam in utroque casu militat eadem ratio, & ita docet Pegna in direct. Inquis. part. 3. comment. 54. & post illum Catharius de interrog. reorum lib. 4. cap. 1. n. 198. & 199. Et hæc ut magis occurrentia & practicable, satis dicta sint circa materiam indiciorum in ordine ad torturam; nunc vero deveniendum est ad alias questiones, & ideo quæro,

RESOL. XVII.

An Inquisitores possint inferre torturam sine Episcopo, & alios ad hoc subdelegare?

Et an ad pronuntiandam tormenti sententiam intervenire debeant Episcopus, & Inquisitores?

Et an nemo autem alius præsens debeat esse questionum præter iudices, subelliones, &que tortores? Ex p. 4. tr. 6. Ref. etiam 17.

§. 1. **R**espondeo negativè, ex Clem. 1. §. propter, de hæret. Vnde si Inquisitores sine Episcopo hæreticum torquerent, omnia essent ipso jure nulla, & ideo si reus ita tortus confessus fuerit, dicta confessio reo confitenti minime nocbit, etiam si fuerit ratificata, & hæc omnia late probant DD. quos citat, & sequitur Farinac. de hæret. q. 186. n. 67. & seq. quibus ego addo Michaëlem Zanard. in direct. Theol. part. 2. cap. 6. §. 4. 1. & Vmbertum Locatum in praxi Inquis. ver. tortura, 7. 8. & 9.

2. Vnde in sacro Tribunali Inquisitionis Hispaniæ ita supradicta observantur, ut non solum Inquisitores cum Episcopo simul sententiam torture præferant, sed quando reus actu torquetur, ad sunt præsentibus simul cum Episcopo, vel ejus procuratore, & rard aliis, ut torture assistant, committunt, & ideo in instrum. Hispal. ann. 1484. sic habetur: [En la question de tormento, quando se huviera de dar, deben estar presentes los Inquisidores, y Ordinario, o alguno dellos, y si bien visto le fuere come-